DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

HYDROCELE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUÆDAM

DE

HYDROCELE

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS STENHOUSE,

SCOTUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. ORD.

"*Tanti non es,*" *ais. Sapis Luperce.* MART. *Epig.*

VIII. Calend. Jul. horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1809.

PATRI

SUO

JACOBO STENHOUSE, M. D.

HOC

PIGNUS

REVERENTIÆ ET AFFECTUS

CONSECRAT

FILIUS.

To Dr. Ogilvy with the
Authors Compliments -

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

HYDROCELE.

Auctore JACOBO STENHOUSE.

DE malo non profectò vitæ discrimen, at summam molestiam inferente, pauca disserere nobis in animo est.

Illa vox *Hydrocele*, tumorem aqueum inter testis capsulas intercedentem ritè significat, et ea, utì consuêrunt medici, ad hydropem cellularum telæ reticulatæ scroti et tunicarum, testem et funem spermaticum cingentium, notandum.

Plerique Hydrocelen in quatuor genera diviserunt: hæc autem sunt, hydrops cellularum scroti,—hydrops cellularum tunicæ funis spermatici communis,—hydrops ejusdem tunicæ saccatus;—et hydrops tunicæ vaginalis, nimirùm latex inter hanc et istam tunicam albugineam intercedens: de quo tantùm, quippe quia sæpissimè omnium grassatur, propriè nobis erit dicendum.

Nulla ætas, nullus habitus, nulla corporis indoles, non proclivis est quem adoriatur hic morbus; qui parùm læsâ valetudine nitens, proprius loci esse videtur; sæpiùs alterutrum, rariùs utrumque testem malè habet. Hæ autem notæ hydrocelen insigniunt; tumor ferè decolor, resiliens, non tactu dolens, speciem pyramidis induens, apice sursùm spectante; venæ in scrotum sparsæ varicè ampliatæ; scrotum, lucernâ in tenebris admotâ, quodammodo translucens, præsertim junioribus quibus singulæ tunicæ quàm ætate provectioribus sunt tenuiores; proinde his non semper

semper translucet tumor, eoque nequaquam huic signo soli fidendum, in hoc ab aliis morbis discernendo: funis spermaticus sanus esse et facilè manu sentiri solet, at inveterascente malo, præ magna vi humoris, *annulo* musculi *obliqui externi descendentis*, tenus pertinentis, celatur, neque tactu deprehendi potest; etiamsi tantùm initio, testis contrectandus sit, peritior tamen medicus admotâ manu, quodammodo ubi situs esset, tumore jam amplissimo, statuere potest, nempè hoc paulò firmiore illic quàm alicubi. Plerumque testis, partem tumoris superiorem et posteriorem occupat. Sensus gravitatis et molestiæ, vix doloris, ad lumbos spectat, ad molem et pondus tumoris referendus; testis ipse haud unquam dolet. Sensim et nullis prænunciis, tumor cœpisse solet; plerumque diu trahit, interdum celeriùs progreditur; primò ad imum scroti quandam gravitatem æger sentit, quàm adaugescentem excipit tumor, primùm rotundus, dein pyramidem referens; qui interdum priùs, subitò subsistere cœpit quàm *summam* attigerit

magnitudinem;

magnitudinem; non dein ampliandus nisi forte aliquâ noxâ extrinsecâ incitetur testis.

De humoris effusi indole et origine, alii alias, pauci rectè senserunt; neque operæ pretium esset, aut proposito consentaneum, pleniorem habere sermonem de his ineptis sententiis: Opinati sunt quidam ex veteribus, eundem urinam fuisse, quæ aberrans a renibus, in cavum tunicæ vaginalis erat delapsa; alii autem, vires naturæ conservatrices eum genuisse, nimirùm hunc morbum nixu harum salutari ortum esse, ad alia mala præcavenda, quæ ni iste humor evocetur, hominem corriperent; aliis fabricam corporis humani ignorantibus placuit, aquam viâ propriâ ex abdomine descendisse. Diu medicos fefellerunt hæ aliæque ineptæ sententiæ; et parùm lucidè de hoc morbo scripserunt etiam quidam recentiores: imo primus omnium MONROIUS celeberrimus, ornatè et accuratè hunc affectum exposuit, et partium quas lædit, fabricam penitùs explicuit. Nihil interesse videtur inter

laticis

laticis effusi naturam, et istius halitûs parci qui homine sano secernitur, et præcavet ne cohæreant binæ tunicæ: hic igitur uberior solito hydrocelen constituit, et ad arteriolarum motum intentiorem, aut vasorum resorbentium imbecillitatem, referri consuevit. MORGAGNIUS * præclarus opinatur, humorem, hydatidibus ortis et dein ruptis, inniti; quam sententiam multis sectionibus doctis, fuit amplexus; conspexit testi hærentes has diruptas: hujus perinsignis medici, summam fidem et solertiam, meritis dignantur laudibus, omnes artis medicæ periti et studiosi; neque inficiendum, alios sæpè jam dictam speciem observâsse; at verò quia conspecta est ubi nullus ante hic morbus exteterat; MORGAGNIO dissentientes, nullâ propriâ cognatione hydatides cum proposito malo conjungi statuimus, imò rarissimè ei accedere.

Interdum

* Vide MORGAGNIUM De Causis et Sedibus Morborum.

Interdum fit ut ista peritonæi pars, quam testis dilabens, ante spiritum inceptum secum detrahit, ad tunicam vaginalem faciendam, non maturè coëat, aut vasis adhereat; quod ex intestino cum teste descendente, an ex alia causa fieret, sequitur ut latex ex abdomine in tunicam vaginalem distillet, et veram *hydrocelen* faciat; interdum intestinum cum humore decidens, *herniam* simul *congenitam* creat; quod manu reductum fasciâ idoneâ fulciens eo partes comprimit, ut coëuntibus lateribus peritonæi, haud ullus exitus esset humori quàm per vasa resorbentia.

Ictus, et similes noxæ extrinsecæ, *hydrocelen* sæpè inferunt, fabricam testis corrumpendo: Testatur POTTIUS illum paucis diebus amplissimam hanc genuisse. Quibusdam consecuta est istam resolutionem et amplificationem vasorum sanguiferorum qûæ *varicocele* nominatur. ELSIO de hujus morbi curatione disserenti placet, unum alterumve vasorum absorbentium ruptum, eundem interdum intulisse,

quia

quia nonnullis, sensus quasi alicujus rei collisæ in scroto, malum antecessit. Earlius exemplum meminit in quo ferramento immisso, tumor profluxit sanguineus; plaga coibat, et statim sanescebat, humore non toto effuso: aliquanto pòst scrotum admodum tumuit, et instrumento iterum admoto, magna vis laticis diluti et straminei caloris emittebatur: hinc constitit, actionem vasorum resorbentium haud inter hæc conquievisse, et ea particulas rufas accepisse, quæ anteà laticem infecerant. Tumor aliquando subitò evanescens, (id quod tamen rariùs fit,) edocere videtur, *hydrocelen* potissimùm ad resorbentia vasa resoluta et torpentia esse referendam. Res est notissima eandem multò magis apud calidas quàm frigidas regiones grassari; quod suadere videtur vasorum resolutionem et imbecillitatem esse præcipuam causam continentem, calore nimirùm summâ vi relaxandi prædito.

Ex prædictis patet, multos de causis hydrocelès hallucinatos esse; neque has profectò

sententias

sententias memoravi ad morbi naturam et curationem illustrandam; nihil enim ad has pertinent: arteriarum actione intentiore, an vasorum resorbentium solutiore, nitatur morbus; illud saltem convenit, nulla auxilia illas sedandi aut hæc incitandi facultate pollentia, eum sanare posse; meo quidem judicio, hydrops ferè omnigenus habet vires utriusque generis vasorum resolutas.

QUOMODO

QUOMODO MALUM DIGNOSCATUR.

Permagni medicorum refert, hoc malum discernere ab aliis, quæ adeò simulat ut etiam artis medendi exercitatissimo sit errandum; quippe quia nullum horum sic ut aliud curari debet; et curatio uni satis idonea, apud cætera plurimum noxæ moliri possit.

Tumor *Hernia* ista inguinali factus, morbo ingravescente, sæpè ad imum scroti pertinet, et adeò speciem Hydroceles induit; eò magis si latex interesset inter intestinum delapsum et peritonæum idem cingens, aut congenita sit hernia, de qua jam sermo fuit; ut utrum subesset vitium, cognoscere imprimis arduum fiat: hujusmodi exemplum scriptis mandavit Pottius ornatus, quod ad *hydrocelen* meram pertinere judicâsset, ni ipse ægrotans, summâ accuratione, indicia mali quo laborabat memo-

rans, quodammodo ejus naturam illustrâsset: inciso tumore cautè, humorem dilutum et omenti partem, inter tunicam vaginalem et testem, interesse comperit. His autem notis *hernia* ab *hydrocele* discernitur: si ægro supino et elatis femoribus, tumor manu sursùm compressus, versus musculi obliqui externi descendentis annulum, ferè evanescat; si inter tussiendum, inspirandum, aut desidendum adaugescat, et aliquantùm moveatur, vel ex aliquo intentiore nisu; si funis spermaticus, vix aut ne vix quidem manu sentiatur, et tumor ex annulo cœpisset; constat non subesse hydropem tunicæ vaginalis, at *herniam* vel hydropem cellularum *tunicæ communis*. Quod si signis mali propositi jam traditis accederent, tumor non homine supino evanescens, aut contractus, neque erecto ampliatus, et alvus sana et naturalis, *hydrocelen* non *herniam* adesse statuendum.

Porrò hydrops cellularum vel aqua intercus scroti quodammodo hujus morbi speciem adsciscit;

sciscit: cujus dimidium scroti malè habentis exemplum meminit POTTIUS, et semillimi hydrocele; eò ut ferramentum ad humorem detrahendum immiserit, et testem sine dubio incidisset, ni cellulæ latice distentæ ferri impetum fregissent. Cùm verò hoc vitium imbecillitate totius corporis plerumque nititur, eòque sæpè hydropem generalem, urinam parcam, et rufam, cutem perarescentem, vultum pallentem comitatur, adesset necne, facilè cognosci potest; species porrò et figura tumoris huic vitio sunt propriæ; cutis ei planior quàm hydrocele, scroti rugis ferè deletis; non fluctuat neque resilit, at vestigium digiti admoti retinet; denique testis vix tactu percipitur.

Hydrops funis spermatici ab hydrocele dignoscitur, eo quod testis ei *infra* tumorem tactu sentitur.

Sarcocele, nimirùm testis durities, eo magis si latex intra tunicam vaginalem adesset, maximè morbum simulat de quo agitur; at verò interest

est quod illi contingunt dolores cruciantes, acuti, pulsatiles, testis indurescens, et amplificatus, asper, inæqualis; etiam tumor inde multò ponderosior, quàm huic, neque vi resiliendi præditus; interest etiam quod ubi illi multum subest humoris, intra tunicam vaginalem, semper tamen pars indurescere, dolere et aliquantum tumere antè cœperit quàm fluctuare; quod testis manu deprehendi posse consuevit, magnâ vi aquæ non obstante; et funis spermaticus mali particeps sæpè tumet et induratur, id quod huic sincero ferè nunquam accidit.

Multò faciliùs hic morbus ab hernia humorali, nempè inflammatione testis, dignoscitur; quæ solet consequi ictum aut aliquam vim externam illatam, et gonorrhœam maturiùs arte sublatam; huic testis et scrotum, tactûs impatientes, acutè dolent et rubent, tumor non fluctuat; quod si aliquid suppurationis testis subesset, antecedens inflammatio, et ejusdem subita decessio, quo minus erremus vetabit.

Iste

Iste tumor mollis testis qui Anglicè *pulpy testicle* nominatur, nonnunquam Hydrocelen refert; imò medici errantes testem vulnerarunt inter incidendum eo consilio ut laticem elicerent. Artis medici peritus, non nisi ineunte hoc testis vitio, me judice, decipi potest; quum testis mollior est æquo, at vix resilit, et etiamsi amplificatur, non propriam formam amittit: at verò malo ingravescente, signa multò magis hydroceles propriis dissentiunt; testis firmior indurescit, vitii particeps fit funis spermaticus, labescit valetudo et malum maturiùs et celeriùs ad finem progreditur quàm hydrocele.

Testis *varicosus*, quem POTTIUS *speciem* sub *genere Hæmatocele* recensuit, et *hydatides* in testis fabrica, quadam ex parte hydrocelen referunt, quæ vitia, medicus, ni studiosè scrutetur pro hac possit amplecti; at neutri tumor resilit, aut forma testis mutatur.

Hæcce

Hæcce potissima sunt scroti aut testis mala, eò præposito similia ut acies medici fallatur; et ex suprà comprehensis constat, acerrimo opus esse studio ne qua sit hallucinatio, quæ uti nunquam levis erit momenti, ita interdum ipsius vitæ discrimine, haud vacaret.

QUIS MALI SIT EVENTUS.

Proposito huc usque absoluto, videndum quem finem, spem aut metum, malum habeat. Quum, utì jam anteà notavimus, *hydrocele* viros aliter integros et sanæ valetudinis adoriri soleat, non nisi læsæ partis propria, hujusque, non officio ad vitam directè necessario fungentis, augurium futuri bonum, esse instituendum, facilè patet: necne vel quantum testis solitum munus gerendi, hic impotens fiat, in dubio est; eo magis quod malum alterutri sæpiùs quàm utrique lateri incumbit. Illud autem constat, fabricam ejus nunquam penitùs convelli aut resolvi; at quia in mala curando,

rando, consilium est facere ut binæ tunicæ testi proximæ, natura invicem sejunctæ, cohæreant, testem, hoc facto, munus ea qua anteà facilitate executum iri, vix sperandum.

QUÆ SIT CURATIO.

In hujus morbi curatione, duplex est medico consilium; primum est, laticem per ferrum eliciendo, morbum levare; secundum, ut tunicæ cohæreant faciendo, eundem radicitùs tollere.

Nunc de indiciis utrumque desiderantibus est dicendum, et perficiendi rationibus.

Alienum esse puto, de medicamentis ad vasa resorbentia incitanda admotis, fusiùs disserere; quippe quæ nil juvare consueverunt, nisi malo infantibus jam natis contingente, quod medici sæpè non aquâ sed aëre constare senserunt,

senserunt, nimirùm *pneumatocelen* extitisse putârunt; imò hoc mali genus evanuisse, non medicamentis istiusmodi adhibitis, sed viribus naturæ medentibus attribuo; idem enim sponte solet accidere.

CONSILIUM PRIMUM.

Humor ope ferramenti, quod fistulâ metallicâ complectitur, elici solet; illud *trocar*, hæc *canula*, Anglicè appellantur: neque scalpellum eidem est inutile: plaga sic facta, solitis auxiliis naturæ, operæ accedentibus, illico sanatur. Hac curatione, ut jam anteà memoravi, malum tantùm levatur, non summovetur ex toto; seriùs ocyùs tumor reverti consuevit. Interdum præfectò, at rariùs, incisura levis ad aquam detrahendam facta, istam tantulam cievit inflammationem quæ in tunicas cohærentes desiit, et radicitùs morbum sustulit: ad hoc tamen perficiendum, sæpè, cavitate priùs exinanitâ, opus est medicamentis infusis quæ facultate inflammationis moliendæ

donantur,

donantur, et inde adhæsionis jam dictæ: at aliquando, tanta vis est humoris, et inde tanta amplificatio et crassitudo tunicæ vaginalis, ut vix ullis rationibus, cohæsio sit concilienda; eoque medicus non nisi ferramento, quoties opus sit admoto, malum lenire possit: In hujuscemodi exemplis, cavendum ut humor emittatur sacco non ad extremum distento; ita ut hoc sensim contracto, et attenuato, tandem secundo consilio exequendo sit locus: In senioribus porrò fractisque valetudinem, satiùs erit tantùm humorem detrahere, at nequaquam inflammationem moliri oportebit; ne ulcere mali moris inde orto, remedium morbo impatibilius et deterius fiat. Tantùm jam dictis exemplis non convenit secundum consilium.

Quod ad instrumentum idoneum, ut anteà dixi, ferramento fistulâ cincto, vel scalpello, uti oportet; hoc, me judice, longè præstat, si latex exiguus esset; metus enim est, ne illud testem incidat; at tantùm licet scalpello uti, humore exiguo, nam etiam exercitatissimo

suæ artis curante, aliquando inter exhauriendum, incisura tunicæ vaginalis, si absit fistula, ex incisione scroti elabitur, quod sequitur ut retineatur reliquus humor, in scroti cellulis, et plurimùm noceat.

Lucernâ admotâ, contrectandum est scrotum, ut ubi jaceat testis cognoscamus: solet autem, id quod suprà comprehensum est, sursùm et retrorsùm spectare, quæ res tamen certâ lege caret; sæpè enim antrorsùm, nunc ad alterutrum latus, positus est. Pro ejus situ satis constat, hic vel illic esse feriendum; at longè frequentiùs antrorsùm. Obliquè sursùm ferramentum debet intrare, nempè ut humor faciliùs efflueret, neque secetur testis: effuso latice, partes resolvuntur et collabuntur; et ut fasciâ idoneâ fulcirentur, necesse est: præcipuè hoc fulcrum desiderant vasa tunicarum, quæ aquâ, vi nempè distendente, quâ nixa sunt, sublatâ, sanguinem præ imbecillitate, interdum effundunt, quod vitium *Hæmatocele* nominatur. Post exinanitionem, homo satis

satis benè se habere solet, rebus gerendis plerumque habilis.

CONSILIUM SECUNDUM.

Ad cavitatem quam amplectuntur, tunica vaginalis et albuginea, delendam, et sic malum prorsùs sanandum, alii alias, omnes eodem spectantes, rationes protulerunt: hæ autem sint *excisio*, *penicillum*, *exurentia*, *setacea*, *incisio*. Singula horum, consilium satis exequentur; et olim alia alii anteposuere; at nunc temporis, longè usitatissima curatio est *injectio* liquorum stimulantium, utpote celerrima, mitissima et facillima omnium; imò interdum dolore, et incommodo ferè vacat.

Humore evocato, aliquando tota compages testis, aliàs epididymis, præter consuetudinem amplus et mollis reperitur; tamen nequaquam impediet, quò minùs cohæsionem tunicarum conciliemus; imò haud rarò posteà, testis, vel epididymis

epididymis ejus, sponte sanescit. Liquor acris utendus, per fistulam, utrem aut saccum ex *gummi resiliente* confectum, est immittendus: satis convenire solet vinum rubrum Lusitanicum meracius aut dilutius: CLINIUS celeberrimus Londinensis, medicamento utitur quod habet libram aquæ et *sulphatis zinci* drachmam; optimum est fortassè, quod habet vini jam dicti duas partes, et aquæ unam; at meracius tenuiusve, pro ipsius ægri sensu, juvabit. Ut primùm testis leviter dolore cœperit, emittendus est liquor, ne acriorem inflammationem ortam, consequatur non adhæsio sed suppuratio; tunicæ igitur non coibunt ex medicamento nimis incitante: quod si sextâ parte horæ elapsâ, pars non omninò doleat, emisso liquore, supponendus est acrior, nimirùm vinum meracum; tandem, hoc evocato, plaga quamprimùm est sananda. Posteà scrotum amplecti et fulcire debet fasciâ sutâ, figuræ idoneæ. Si diem integrum post vinum infusum nulla cœperit inflammatio, ambulandum est ægroto, ad hanc lenem incitandam:

Quod

Quod si justo acrior supervenerit, ope salium medicorum alvus est solvenda, quales sunt *phosphas sodæ, tartris potassæ, tartris potassæ et sodæ; sulphas sodæ*, &c., et scrotum linimentis paratis ex plumbo et zinco madefactis, est cingendum; hæc autem sunt *sulphas* aut *acetis zinci*, et *acetis plumbi.* Plerumque octo diebus, integerrimus fit vir, par vitæ omnibus officiis fungendo factus; neque aliquid præter consuetudinem superesse solet, nisi paululum duritiei et tumoris, citò, nullo mali vestigio relicto, abiturum.

FINIS.